





Band II



L 419.8

Archiv 104

No 545-704.

111



Q. D. B. VI!

CUM

IN

FUNDATAM ANNO MDCC

AB

AUGUSTO, SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

**REGE BORUSSORUM**

BRANDENBURGICAM SOCIETA-

TEM SCIENTIARUM,

VIR

PRÆ-NOBILISSIMUS, AC PRÆCEL-  
LENTISSIMUS,

**DN. M. SAMUEL**

**GROSSERUS,**

AUGUSTI GYM. GORLICENSIS RECTOR

LONGE MERITISSIMUS,

ANNO MDCCXII. PRID. CALEND. JULII

FELICIBUS AUSPICIIIS

CONSORS COOPTATUS ESSET,

**NOVAM ILLAM ADOREAM**

CARMINE, MINORE QUIDEM INGENIO,

MAJORE TAMEN CANDORE,

CONSCRIPTO

EIDEM

GRATULATUM IBANT

SINCERA IDEO VOLUPTATE AC GAUDIO PERFUSI

**DICTI GYMNASII MAGISTRI,**

IPSIUS

**COLLEGÆ.**

GORLICH,

TYPIS MICHAELIS ET JACOBI ZIPPERI,





Rgo Tuas iterum sequitur justissima  
dotes

Gloria, & eximia Virtutis larga capellis  
Præmia, Vir, melior quem dudum Pal-  
las amavit

Inter eos, niveo quos peplo inscripsit  
Athena,

Fulgentem, veluti Zonâ præcinctus Orion  
Inter stellantis radiantia sidera Cæli.

Nam licet ipsa sibi pretium fiet ardua Virtus,  
Divitiis animosa suis, nec honoris egena

Externi: tamen invitam perquirat & ultro  
Ambit Honos, famæ & per terras spargit odores

Gloria, perpetuas laurus, magnisque triumphis  
Æmula gestarum decernens præmia rerum.

Viderat assiduos Parnassius Ordo labores,  
O GROSSE, Tuos; Musæos vidit agonas:

Dum, velut Alcides alter, fera monstra retundis,  
Quæ Schola sæpe fovet, quæ Cerberus ore trifauci

Evomit, Eumenidum diro de stemmate nata;  
Dumque homines limo fingis meliore Prometheus,

Evertisse parans surgentia regna Cyclosum,  
Munitas & moles fœdæ Barbariei.

Viderat ingenuas Claræ, GROSSE, juventæ  
Tradentem dextrè Musarum & Apollinis artes:

Quæ poliunt animos juvenum, vilique popello  
Distinxisse solent, pandentemque ordine justo,

Quicquid Graja notat, quicquid Romana vetustas:  
Lipsia quæ docuit Siren, quæ prodidit Anglæ

Ille Pharos Gentis, doctrinæ traducis acri  
Eloquio. Ingenii vidit monumenta sagacis:

Quæis illustrasti tenus hæc feliciter orbem  
Pierium, incidi memori dignissima cedro,

Suspendique tholis Templi stellantis: ut illic  
Posteris



Posteritas cernat solidæ spectamina laudis.  
Hæc versans animo cùm cuncta libraret ad ungvem,  
Cum grege Castalidum sacro, Pataræus Apollo,  
Mons ubi verticibus petit altus sidera binis,  
Nomine Parnassus, caput inter nubila condens.  
Providus hinc Præses solio sic infit ab alto:  
Vos mihi luce magis dilectæ, quæso, Sorores,  
Consulte in medium: tanto quæ digna labore  
Decernenda sient, quæ tot meritisque brabea  
GROSSERI, cuius perquam venerabile nomen:  
Debita laudatis ne desit gloria factis.  
Me penes arbitrium si stet, si plena potestas,  
Est in proclivi, decernere præmia laudi  
Illius, exantlato atque æqvamenta laboris:  
Ipsi dum liceat majora brabea referre,  
Auriferos fructus, mage lautum & Munus Honoris,  
Ecce Borussiae latè Regnator, & Heros  
Invictus, bellique ausis metuendus & armis,  
Vefanas acies Mavors cùm fulminat inter,  
Et sacer Orbis Amor; quid? Palladium Æthere la-  
Cujus præsidio Phœbi Republica floret, (psum,  
Et tutum Musis profugis stabilitur Asylum,  
Grande SODALITIUM duraturumque SCIENTI-  
ARUM, fundavit clemens: cui Membra dicavit  
Clara, Viros, culti quæis sunt, sine labeque, mores,  
Et dotes animi diæ, penitriqve recessus  
Mentis, & incoctum Musæo pectus amore:  
Ut decus omne Tibi, Latium venerabile, reddant,  
Et quod Grajugenûm Doctrinæ cana senectus  
Palladii æternis sacrum & memorabile thecis  
Continet, eruerent, Megareo in pulvere sudent,  
Ingenio cœlos tentantes, Theologiesque,  
Atque Orientis opes docti & mysteria pandant.  
His quid si Socium demus, quem diximus antè  
GROS-

TI  
R



GROSSERUM nostrum, cui prisco concolor ævo  
 Candor & Integritas, & clara Scientia rerum,  
 Non thyrsu invidiæ bacchantis denteqve nigro  
 Contactum? Hoc Virtus, hoc igneus exigit ardor  
 Cœlitis ingenii. Nunc Vos cense, Sorores.  
 Hæc effatus erat. Musæ sic ora resolvunt:  
 Nate Deâ, hæc animo Tibi dum sententia surgit,  
 Mens eadem nobis quoque stat: Tua dicta probamus.  
 Nam velut acer equus, palmæ qui ductus honore,  
 Carceribus missus Circi procurrat in æquor,  
 Atque ferox socios prævertere sustinet omnes;  
 Detur ut optatam cursu contingere metam:  
 Sic generosa Viri mens atque interrita Virtus  
 Gnaviter in Clario sudavit nocte dieque  
 Pulvere, Theologies Sophiesque anabathra verendæ  
 Percurrens: quare merito potiatur honore.  
 Vix ea finierant: cum fudit gaudia Pindus:  
 Ex quo descendunt Divæ, quatiuntque lacertos,  
 Plaususque ingeminant, lingvisque animisque faventes.  
 Nostraque se fuci ac cerussæ His nescia jungit  
 Pieris, atque, *Decus Tibimet gratata novellum,*  
 Subjicit illa pios, COLLEGA adamande, precatûs:  
 Sis felix, & *Honor TIBI sit novus ille secundus;*  
 Atque velut volucris, Divûm gratissima Regi,  
 Alis alta petens *Cognata ad Sidera tendit:* \*  
 Sic quoque Tu solidè pergas operate Camenis:  
 Pergas Mnemosynes tabulis calamoque sacrare  
 Vivaci egregias res, & dignissima cedro.  
 Sic Tua multiplici cum fœnore gloria crescet,  
 Utque Jovis volucer *Cognata ad sidera tendes,*  
 Inque dies majores MAJOR adeptus Honores,  
 Ex merito, celso transcribes nomen Olympo.

\* Insigne Regiæ Boruff. Societatis Scientiarum exhibet Aquilam,  
 versus altra volantem, adjecto lemmate: *Cognata ad sidera tendit.*







Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1066905 1